

rogatum, tam ex casu difficilis accessus ad residentiam, quam actualis servitii præstiti uni ex S. R. E. Cardin. in Urbe præsentis canonizatum, et approbatum fuit a Sacra Congregatione Concilii in Avenion. Indultorum, 9 Febr. 1715. cum addito tamen, ut post ultimum terminum indulti Canonicus omnino deberet redire ad residentiam.

(30. « Servitium præstitum a Canonico, uti Coadjutore, connumeratur in annis quadraginta ad effectum obtinendi Indultum Jubilationis; » Sac. Congr. Conc. in Brixien. 27 Mart. 1682. ubi de annis duobus Coadjutoria, et 11 Februarii 1699. ubi de annis septem. Et in Bergomen. Jubilationis, 8 Augusti 1687. ubi de annis novem, et in Novarien. 4 Aug. 1691. ubi de annis quinque.

(31. Segobien. 15 Decembris 1704. et 16 Novemb. et 20 Decembris 1704. Sac. Congr. Concil. noluit confirmare statutum, in quo petebatur restrictio temporis annorum 30, pro consequenda Jubilatione, rescribendo in 1. dubio; « Negative quoad primam partem statuti, in qua petitur reductio temporis ad 30, pro consequenda Jubilatione. » (32. Prout etiam noluit confirmare idem statutum in alia parte, in qua Canonicis absentibus concedebatur tertia pars distributionum, rescribendo; « Negative pariter quoad tertiam partem concernentem distributiones quotidianas, » l. 63. decret. fol. 701. et lib. 64. fol. 612. et 717. De quibus rescriptis mentionem facit Monac. in Formul., tom. 2, tit. 13. form. 2, num. 77, fol. 60. et in tom. 4, fol. 2, n. 13. ubi, quod Indultum Jubilationis originem habet a Collegio Levitarum Mosaicæ Legis, in quo Levitæ servientes ab anno 23, usque ad annum 50 tanquam emeriti non amplius inserviebant, juxta verba illa Num. 8. 24: *Hæc est Lex Levitarum: A 23 annis, et supra ingredientur, ut ministrent in Tabernaculo fœderis, cumque 50 annum ætatis impleverint, servire cessabunt, eruntque Ministri Fratrum suorum in Tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem non facient.* Hactenus ad literam D. Ursaya; l. c.

(33. Cum Canonici Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Asculi ab immemorabili in toto anni curriculo non nisi unicum mensem haberent vacationis a servitio Chori, quemadmodum gaudebant Mansionarii ejusdem Ecclesiæ; supplicarunt anno 1647 Sac. Congregat. Concil. pro concessione alterius mensis, et favorable Indultum impetrarunt; ac rursus anno 1696 prævia relatione tunc temporis Episcopi obtinuerunt concessionem vacationis per alium mensem, et sic in totum trium mensium cujuslibet anni juxta modum præscriptum a Sacro Concilio Tridentino. Et quamvis attentata concessione vacationis istorum trium mensium, adhuc Chori servitium semper fuerit laudabiliter, et summa totius populi ædificatione expletum, tamen die Sabbati 5 Junii 1706 fuerunt in eadem Congregat. sequentia dubia, quibus fuit responsum ut infra.

Dub. I. « An sit standum, vel recedendum a decisio, 28 Jan. 1696? »

*Dilata*, et exquiratur melior informatio super quantitate reddituum, et qualitate servitii.

II. « An Archidiacono, et Canonicis liceat vacare a Choro, et servitio Ecclesiæ temporibus Adventus, Quadragesimæ, et in Dominicis, aliisque festis, quæ in Cathedrali Asculana non dicuntur solemnia, et in octavis privilegiatis? » *Negative*.

III. « An, et quomodo sit faciendus turnus per hebdomadam? » et quatenus *affirmative*.

Turnum faciendum esse per duas ex tribus partibus.

IV. « An si aliqui ex Canonicis in sua hebdomada non inserviant, ita ut duæ tertiæ illorum partes Choro non intersint, alii Inservientes, et Interessentes, lucrentur distributiones? »

*Affirmative*.

V. « An Distributiones non Interveniendum possint reponi in Massa communi, et dividi æqualiter; seu potius ad ratam servitii? »

*Negative* quoad primam partem, et quoad secundam *affirmative*.

VI. « An absentes tempore vacationis, ultra fructus suarum Præbendarum, lucrentur Distributiones quotidianas? »

*Dilata*.

VII. « An distributiones quotidianæ debeantur Canonico infirmo, si alias sanus non esset solitus residere? »

*Negative*.

VIII. « An debeantur Canonicis coadjutis infirmis, si Coadjutores sani non inserviunt? »

*Negative*, et prædicta dubia amplius non proponantur.

IX. « An distributiones relictæ a Cardinali Bernerio de suo, et dandæ solis interessentibus Matutino, debeantur infirmis? »

Exhibendum esse Instrumentum foundationis.

X. « An Canonici, qui perceperunt easdem Distributiones pro tempore, quo servitium Ecclesiæ non præstiterunt, ad illarum restitutionem teneantur? »

*Affirmative*.

Repropositis vero die 5 Jan. 1707 tribus ex dictis decem dubiis.

« Ad I. In decisio quoad concessionem tertii mensis vacationis.

« Ad VI. *Negative*, et amplius non proponatur.

« Ad IX. Stetit in decisio. » Sic apud D. Ursayam, tom. 8, discept. 34, n. 35.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De causis, ex quibus absentes possunt necne percipere distributiones quotidianas, de quibus tum in præcedenti, tum in hoc articulo agit Auctor, longum esset disserere, et ipsum Auctorem vel declarare, vel confutare. Consule, ubi res postulat, San. Mem. Benedict. XIV. Institut. Eccles. 107. a num. 39. ad plur. seq. Ex quibus multa in superiores Articulos Auctor post Romanam primam Editionem transtulit, tum P. Girald.

in addit. ad Mascat. instit. Canon. lib. 3. tit. 4, n. 22.

(35. Non est absolute verum, quod distributiones a Canonicis absentibus amissæ accrescant inservientibus, ut ait Auctor. n. 31. Vide distinctionem, cum qua procedit

#### DIVINATIO.

Vide verb. SUPERSTITIO, a num. 12 ad 33.

#### DIVORTIUM.

##### SUMMARIUM.

1. Divortium generatim potest capi tripliciter, scilicet quoad vinculum, quoad torum solum, et quoad torum et cohabitationem simul. — 2. Divortium quoad vinculum quid sit. — 3. Divortium quoad torum solum quid sit. — 4. Divortium quoad torum, et cohabitationem simul quid sit. — 5. Divortium secundum etymologiam nominis unde sit dictum. — 6. Divortium quoad vinculum Matrimonii rati, et non consummati, fit inter fideles professione Religiosa. — 7. Non fit tamen Divortium quoad vinculum Matrimonii rati, et non consummati per votum solenne castitatis in susceptione Ordinis Sacri. — 8. Et multo minus fit tale Divortium quoad vinculum per votum simplex castitatis. — 9. Potest tamen tale Divortium quoad vinculum fieri per dispensationem Papæ. — 10. Sic fert praxis recepta Romanæ Curie ad n. 12. — 15. Afferitur, et solvitur instantia, ad n. 14. — 15. Ad dissolvendum quoad vinculum Matrimonium, sive ratum, sive consummatum cum impedimento dirimente contractum, requiritur auctoritas legitimi judicis Ecclesiastici. — 16. Non potest tamen nec debet iudex facile credere conjugibus nisi adsit sufficiens probatio. — 17. Matrimonium valide inter fideles contractum, et consummatum est quoad vinculum indissolubile. — 18. Divortium quoad torum, et cohabitationem potest licite fieri iusta interveniente causa. — 19. Causæ justæ faciendi Divortium septem generatim assignantur. — 20. Prima est mutus conjugum consensus. — 21. Secunda est fornicatio spiritualis alterius conjugum. — 22. Cum hac tamen advertentia, quod si conjugum innocens propria auctoritate sine iudicio Ecclesiæ Divortium fecit, conjugum reo converso, tenetur redire. — 23. Si vero conjugum innocens iudicio Ecclesiæ Divortium fecit, conjugum reo converso, non tenetur redire. — 24. Si autem conjugum innocens Religionem ingredi noluerit, etiam hic tenetur redire. — 25. Tertia causa est periculum salutis corporalis ad n. 26. — 27. Quarta est sævitia alterius conjugis. — 28. Sic etiam ob sævitiam uxoris. — 29. Sævitia sufficiens ad Divortium est si adsit probabilis timor, et periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis futuræ, etiam secluso vitæ periculo. — 30. Ob periculum vitæ, aut gravis verberationis, etc., si periculum sit in mora, potest unus conjugum propria auctoritate discedere. — 31. Si vero periculum non sit in mora, debet expectare sententiam judicis. — 32. Quinta causa est votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam. — 33. Sexta est morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis. — 34. Si quis autem sponte contraxit cum persona prius cognita morbo contagioso infecta, non potest Divortium facere, neque quoad torum, neque quoad cohabitationem. — 35. Septima causa est adulterium culpabile alterius conjugis. — 36. Conjugum innocens potest licite divortium facere propter alterius commissam sodomiam, aut bestialitatem. — 37. Non sic autem ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula facta. — 38. Conjugum innocens quando alterius adulterium est notorium, potest propria auctoritate in utroque foro divortium facere. — 39. Si vero alterius adulterium

Fagnan. in cap. *Quia nonnulli* n. 16. et 21 de Cleric. non resid. Confer itidem Vanespen. Jur. Eccles. Univers. part. 1, tit. 7, cap. 11, n. 6. tum et maxime Rousseaud de La Combe, in sua Jurisprudencia Canon. verb. *Distributiones* n. 2 et 6. ubi nova utitur distinctione.

sit occultum, potest conjugum innocens propria auctoritate divortium facere, solum quoad torum; quoad cohabitationem vero solum post sententiam Judicis. — 40. Quando adulterium unius conjugis nec est notorium, nec alteri physice, vel moraliter certe notum est, sed solum dubium de illo existit, conjugum innocens, nec in foro externo, nec in interno divertere, aut debitum negare potest. — 41. Conjugum innocens potest conjugum adulterum iterum recipere. — 42. Non tamen tenetur ipsum recipere, etsi multis annis pœniteat. — 43. Conjugum innocens potest pro libitu revocare nocentem etiam post sententiam divortii, teneturque nocens redire, etc. — 44. Quando unus conjugum adulterium committit, potest eo invito conjugum innocens Religionem ingredi. — 45. Et si adulterium sit publicum, et notorium, potest conjugum innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non expectata sententia Judicis. — 46. Si vero adulterium sit occultum, debet expectare sententiam Divortii a Judice. — 47. Conjugum innocens, si post alterius adulterium, ei voluntarie cohabitavit petendo, et reddendo debitum conjugale, non potest eo invito Religionem ingredi. — 48. Sic etiam conjugum innocens, si ex post et ipse adulterium committat, non potest invito primo adultero Religionem ingredi. — 49. Quando conjugum innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens divortium facit a conjugum adultero etiam quoad cohabitationem, non potest conjugum adulter sine licentia conjugis innocentis ingredi Religionem. — 50. Potest tamen conjugum adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri etiam inscio et invito conjugum innocente, si hic prius est Religionem ingressus, et in ea professus. — 51. Quotiescumque vir ob adulterium uxoris ea invita potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines sacros in sæculo quoque manens recipere. — 52. Afferitur, et solvitur instantia. — 53. Ob adult. spirituale potest alter conjugum fidelis etiam invito Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram fidem rediit iterum conjugum adulterans, dummodo separatio ob adulterium spirituale auctoritate Ecclesiæ, et non propria sit facta. — 54. Afferuntur plures casus, in quibus nequit fieri Divortium propter adulterium, et primus est quando conjugum innocens jam remisit injuriam conjugum adultero. — 55. Secundus est quando adulterium ab utroque conjugum fuit commissum. — 56. Tertius est quando adulterium est tantum materiale, et non formale. — 57. Secus est si metu mortis, seu alterius gravis mali conjugum adulterium consentiendo admisit. — 58. Quartus casus est, si fuit vir uxori causa adulterii. — 59. Et hoc etiam si tacite tantum consentiat. — 60. Vir non censetur causam præbere mulieri adulterandi, si eam domo expellit, aut necessaria alimenta ei denegat. — 61. Subnectuntur Supplementa Auctoris. — 62. 66. Divortium quoad torum et cohabitationem ex voto ultramarino locus hodie haud videtur esse posse. — 67. Adulterium a viro uxori falso imputatum est etiam causa Divortii. — 68. 74. An defectus virginitatis in muliere justam præbeat causam Divortii. — 75. 76. In quo differat causa Adulterii a cæteris causis. — 77. 80. De probatione causæ, quæ allegatur ad Divortium. — 81. 85. De Divortio apud Romanos. — 86. Familiare habuerunt Divortium Imperatores, et quidem Christiani. — 87. Leges de

eo in Republica lata. — 88. 91. Quomodo sese gesserint Imperatores Christ. circa Divortium. — 92. Semper a SS. PP. reprobatur in foro interno. — 93. 100. De quadam Sancti Ambrosii sententia. — 101. 105. Temporum malitiæ tribuendum, si post factum Divortium, SS. PP. novas nuptias tolerandas duxerint. — 106. Solum Adulterium juxta Patres causam præbet Divortio. — 107. 110. Quid si mulier infirmitate correpta debitum viro reddere non valeat. — 111. De Judæorum ad Christi fidem conversorum Divortio. — 112. Utrum statim ac infidelis conjux Christianam renuat amplecti fidem, an post secundas cum Christiana femina nuptias legitimum viri Neophyti matrimonium dirimatur. —

(1. Divortium generatim potest capi tripliciter, scilicet quoad vinculum, quoad thorum solum, et quoad thorum et cohabitationem simul. (2. Divortium quoad vinculum est separatio conjugum, dissoluto penitus eorum matrimonio, ita ut et maritus possit aliam ducere uxorem, et uxor alium ducere maritum, prout colligitur ex tot. tit. ff. de Divortis. (3. Divortium quoad thorum solum est separatio conjugum quoad debitum conjugale alteri licite denegandum, et manente vinculo Matrimonii valide contracti, et cohabitatione in eadem domo, et mensa. (4. Divortium quoad thorum, et cohabitationem simul est separatio, et liberatio conjugum non tantum ab obligatione reddendi debitum, sed etiam habitandi in eadem domo, mensa, et lecto. (5. Hoc nomen Divortium spectata nominis etymologia desumptum est, ut habetur leg. 2, ff. de Divort. et repud. a diversitate mentium, quatenus conjuges, qui per Divortium se discernunt, quodammodo quoad effectus se alienant; vel quatenus ex alienatione affectuum, se ab invicem separant; seu desumptum est ex eo quod ad diversas partes divertunt.

(6. Divortium quoad vinculum, seu totalis dissolutio Matrimonii rati, et non consummati fit inter fideles Professione Religiosa; ita ut uno conjuge in Religionem ingressa, et professo, alter in sæculo relictus possit transire licite ad alias nuptias. *Est communis ac certa*, textu expresso in cap. *Verum 2*, et cap. *Ex publico 7*, de convers. conjugator. et Concil. Trid. sess. 54, can. 6, ibi: « Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum, non dirimi, Anathema sit. » Unde cuilibet conjugum post contractum jam Matrimonium conceditur bimestre ad deliberandum, an consummare, vel Religionem ingredi velit; cit. cap. *Ex publico 7*, de conversion. conjugator. (7. Non dissolvitur tamen Matrimonium ratum, nec fit divortium, quoad ejus vinculum per votum solemne Castitatis in susceptione Ordinis Sacri, quia licet hujusmodi votum impediatur Matrimonium contrahendum, tamen non sufficit ad dissolvendum Matrimonium prius contractum, quamvis nondum consummatum: « Cum nec jure divino, nec per Sacros Canones reperitur hoc statutum; » prout argumentatur atque declarat Joannes XXII, in Extravag. *Antiqua*, De voto, et voti redemptione. (8. Et multo

113. An dos restituenda, vel quando, et in quibus casibus, post secutam thori saltem et habitationis separationem. — 114. Divortium est triplex. — 115. Divortium in matrimoniis infidelium. — 116. Si conjux infidelis interpellari non potest, Rom. sedis dispensatione opus est. — 117. Quæritur quo præcise momento temporis hujusmodi matrimonia dissolvuntur? — 118. Quo jure fit divortium in matrimoniis non consummatis. — 119. Rejiciuntur quædam falsæ exceptiones, ubi non datur divortium. — 120. Adulterium non præbet justam exceptionem. — 121. Quænam est Ecclesiæ doctrina circa Græcorum matrimonia.

minus fit divortium, et quoad vinculum dissolvitur Matrimonium ratum et nondum consummatum per votum simplex Castitatis; text. express. in c. *Ex parte tua*, 14, de Convers. conjug.

(9. Potest autem Divortium fieri, et quoad vinculum dissolvi totaliter Matrimonium ratum, et nondum consummatum etiam per dispensationem Summi Pontificis, ita ut ambo conjuges licite possint transire ad alias nuptias. Sic tenendum esse declaravit die 16 Julii 1599. Congregatio Particularis a Clemente VIII deputata, cui interfuerunt Card. Asulanus, Burghesius, Blanchettus, Mantica, Arigonius, Vicecomes, Ossarius, et Bellarminus, necnon RR. PP. Seraphinus, Pamphilius, Pegna, et Mellinus tunc Rotæ Auditores, ac Petrus Justinianus, et Costa Societatis Jesu, omnes omni exceptione majores, tum in sacra Theologia, tum in Sacris Canonibus, et sic etiam pluries censuit Sacra Congregatio Conc. et signanter in Carpentoracten., 25 Januarii 1608, in una Seguntina, 17 Septembr. 1603, in una Ferrariensi., 20 Maii 1613, et in una Augustana, 16 Maii 1618. (10. Et hæc est praxis recepta a Romana Curia, ut abunde patet ex pluribus exemplis relatis a Doctoribus. Divus enim Antoninus 3 par. tit. 1, cap. 21, § 3. affirmat se vidisse hujus dispensationis Bullas expeditas a Martino V, et Eugenio IV, Navarr. in Manual. c. 22, refert Julium III, Paulum III, et Pium IV, sic dispensasse; Cajetan. tom. 1, opusc. 28, de Matrim. asserit suo tempore hujusmodi dispensationes emanasse a Summis Pontificibus; Enriq., lib. 11, de Matrim., cap. 8, num. 11, in Gloss. litt. F. refert Gregor. XIII, unica die cum undecim Oratoribus dispensasse, et prætermisissis pluribus aliis Urbanus VIII, dispensari mandavit per Archiepiscopum Neapolitanum super Matrimonio rato inter D. D. Michaellem Blanchum, et Joannam filiam Principis, et Principissæ de Concha Civitatis Neapolit. præcisis literis in forma Brevis, sub Annulo Piscatoris expeditis, tenoris sequentis, videlicet.

A tergo

Venerabili Fratri Archiepiscopo Neapolitano,  
Intus vero:

(11. « Urbanus Papa VIII. Venerabilis frater, salutem, et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Princeps, et Principissa de Concha Neapolitani, quod pro conservatione illorum Statuum, et familiæ, cupiunt Joannam illorum

filiam unigenitam, cum aliquo viro ex dicta familia, matrimonialiter copulari. Verum, quia dicta Joanna tunc in decimo tertio ætatis suæ anno constituta, matrimonium cum dilecto filio Michaelle Blanco per Procuratorem, per verba de rato, contraxit, et quod ratione hujusmodi Matrimonii graves lites, et inimicitie ortæ jam sint, et majores fuissent, nisi auctoritate, et providentia dilecti filii nobilis viri Comitis de Monterey, proregis Neapolit., provisum fuisset, Nos etc. fraternitati tuæ committimus, et mandamus, quod Matrimonium hujusmodi sic factum, et non consummatum, stante etiam consensu partium, nullum, et invalidum, ad affectum, ut dictus Michael cum alia muliere, Joanna vero prædicta cum alio viro de dicta familia, præcedente tamen dispensatione Apostolica super Consanguinitatis, seu Affinitatis gradus, quatenus opus sit, libere, et licite contrahere valeant, Apostolica auctoritate declares. Non obstantibus præmissis, ac quibuscunque Constitutionibus Apostolicis. Datum Romæ, » etc.

(12. Accedit ratio, quia si Pontifex potest dispensare in Professione Religiosa, per quam dirimitur Matrimonium ratum, a fortiori poterit dispensare in Matrimonio ipso. Tum quia ex verbis Christi dicitis Petro. Matth., 16 et 19: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, etc. Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis*; colligitur dedisse ipse Petro, et suis Successoribus amplissimam facultatem dispensandi in iis, quæ sunt juris divini, et non deducuntur proxime ex principiis juris naturæ, sed remote, et quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ, maxime ob bonum publicum aut commune Ecclesiæ, vel animarum salutem, et sic credibile est, Deum suo Vicario contulisse potestatem dispensandi in Matrimonio rato, nondum consummato, casu, quo id exigat bonum Ecclesiæ, aut animarum salus. (13. Nec valet dicere, quod si hoc valeret pro matrimonio rato, valeret etiam pro matrimonio consummato, cum æque, immo magis, et sæpius pro bono communi Ecclesiæ, et animarum salute serviret si dispensaretur in Matrimonio consummato, quam rato; adeoque si ob bonum commune Ecclesiæ, et animarum salutem non potest Papa dispensare in Matrimonio consummato, neque poterit in rato, cum utrumque sit æque indissolubile de jure divino. (14. Non valet, inquam, quia Matrimonii Sacramentum quoad significationem non est completum usque ad carnalem copulam inclusive, ita quod Matrimonium ratum significet conjunctionem Dei ad animam per Charitatem, consummatum vero conjunctionem Christi ad Ecclesiam cap. *Debitum 5*, de Bigamis. Prima autem conjunctio est solubilis, non secunda, ideoque Matrimonium ratum solvi potest, non vero consummatum. Unde, ut recte infert Pignatell., tom. 1, consult. 148, num. 4. Dominus, Matth. 19, non dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, nisi post illa verba: *Et*

*erunt duo in carne una*; et Apostolus ad Ephes. 5, non dixit: *Hoc sacramentum magnum in Christo et Ecclesia*, nisi post illa verba: *Et erunt duo in carne una*, et ideo Leo Pontifex inquit, ut referunt Magister in 2, d. 31, et Gratian, cap. 17, caus. 27, quæst. 2. « Societas nuptialis ita est a principio instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeat Christi et Ecclesiæ Sacramentum. » Hoc etiam docet textus in cap. *Ex publico 7*, § *Sane*, de Convers. conjugat. ibi: « Sane, quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum Interpretationem sacri eloqui de his, quorum Matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest. » Hinc Rota in Burgensi Dissolutionis Matrimonii 17 Jun. 1594, cor. Justo, quo ad potestatem Papæ dissolvendi Matrimonii rati nondum consummati concludit non esse dubitandum, quia hæc est communis opinio Canonistarum, præsertim de consensu conjugum, et ex justa aliqua causa.

(15. Ad dissolvendum, quoad vinculum, Matrimonium sive ratum, sive consummatum cum impedimento dirimente contractum, requiritur auctoritas Judicis legitimi Ecclesiastici; non enim privata conjugum auctoritate dissolvi potest, nec unus alterum dimittere valet, etiamsi certi sint de impedimento dirimente, idque notorium existat; textu expresso in cap. *Porro 3*, de Divortis, ibi: « Porro de Comite Pontini, qui B. uxorem suam absque judicio Ecclesiæ dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris Defunctæ proponit, prudentia tua cognoscat quod si etiam parentela esset publica, et notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit, quare ipsum ad eam recipendam districte compellas; quam si recipere noluerit, eum supradictum vinculo Excommunicationis adstringas. » (16. Non debet tamen, nec potest Ecclesiasticus Judex Matrimonium dissolvere quoad vinculum, statim ac unus, vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniæ, fateantur secum impedimento dirimente, v. g. affinitatis, vel consanguinitatis contraxisse, sed debet eidem Judici prius constare de impedimento dirimente per probationem plenam et perfectam, qualis est, quæ fit saltem per duos testes omni exceptione majores, textu expresso in cap. *Super eo 5*, De eo qui cognovit, ibi: « Super eo quod postulas, utrum conjugatus, qui ante contractum Matrimonium uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque, et aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicatur, sit ab uxore sua judicio Ecclesiæ separandus. Tuæ Fraternitati respondemus, quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ separari non debent; cum et quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, et ad confessionem incestus, (aut alterius impedimenti) facile prosilirent, si suo judicio crederent, per judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ

non adeo est judicandus validus, quod, nisi rationabiles, et fide dignæ probationes acce-  
dant, possit bene contractum Matrimonium irritari. »

(17. Matrimonium valide inter fideles contractum, et consummatum, est quoad vinculum indissolubile. Est communis inter Catholicos ex definitione Concil. Tridentini sess. 24, can. 5, ibi: « Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit; » et Can. 7, ibi. « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius Conjugis Matrimonii vinculum non posse dissolvi, etc., anathema sit. » Et habetur expresse ex verbis Christi Matth. 19, ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Item ex Apostolo ad Rom. 7, ibi: *Mulier vivente viro alligata est lege,* et I ad Corinth. 7, ibi: *His qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari;* quæ verba de Matrimonio consummato inter fideles contracto sunt intelligenda juxta textum in cap. *Ex publico*, 7, de Convers. conjugator. supra sub num. 14, allegatum.

(18. Divortium quoad thorum, et cohabitationem potest licite fieri, justa, et legitima causa interveniente. Habetur ex perpetua Ecclesiæ praxi, et ex expressa definitione Conc. Trid. sess. 24. Can. 8, ibi: « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit. » (19. Justa autem, et legitima causæ, ob quas potest licite fieri divortium inter Christianos Conjuges, septem generatim solent assignari. (20. Prima est mutui conjugum consensus, ut cum ambo intrant Religionem, vel vir assumit statum Clericalem, et uxor ingreditur Religionem, vel unus solum conjugum Religionem ingreditur, altero in sæculo remanente, dummodo perpetuum votum continentia emitat, ut statuitur in c. *Cum sis* 4, de Convers. conjugat., ibi: « Ut castitatem promittente, » etc. *Ad Apostolicam* 13, eodem tit., ibi: « Nisi perpetuam continentiam repromittat. » Et ejus sit ætatis, et conditionis, ut non sit suspectus vel suspecta de periculo incontinentiæ ratione morum, ut statuitur in c. *Uxoratus* 8, eod. tit., ibi: « Quæ integræ opinionis existat, ut nulla suspicio habeatur, quod minus continenter habeat vivere; » et infra: « Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, debet Religionem intrare. » Sic etiam conjuges mutuo consensu divorcium a cohabitatione thori facere possunt, ut juxta monitum Apostoli 1, ad Corinth. 7, vacent orationi; ibi: *Ad tempus se separent conjuges, ut vacent orationi.*

(21. Secunda justa, et legitima causa est fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresim, seu gentilismum alterius conjugum; ob hanc enim causam conjux innocens etiam propria

auctoritate potest licite facere divortium quoad thorum et cohabitationem; (22. cum hac tamen advertentia, quod si conjux innocens propria auctoritate, et sine judicio Ecclesiæ divortium fecit a conjuge in hæresim lapsus, et ipse reus hæresis sese ab errore revocaverit, tunc tenetur eum iterum recipere, seu ad eum iterum redire, textu expresso in cap. *De illa* 6, de Divortii, ibi: « De illa, quæ viro suo labente in hæresim; sine judicio Ecclesiæ declinavit, videtur Nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda, quæ etiamsi reverti noluerit, est reddenda; » et concordat cap. *Quanto* 7, § final. eodem tit. (23. Si vero conjux innocens judicio Ecclesiæ divortium fecit, non compellitur conjugem conversum recipere, seu ad eum iterum redire, sed potest Religionem intrare, si vult; textu expresso in cit. c. *De illa*; ibi: « Si vero judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam, » et concordat c. *Mulier* 21, de Convers. conjugat., ibi: « Mulier, quæ in fide remansit, potest, volente viro qui ab infidelitate revertitur, per quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem libere convolare. » (24. Si autem Religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. Sic Glossa communiter recepta in dict., cap. *Mulier* 21, de Convers. conjugat. verb. *Judicio Ecclesiæ*, ubi expresse dicit: « Sed si nollet intrare Religionem, compelli debet ad ipsum redire utroque casu, sive fuerit judicio Ecclesiæ absoluta, sive non; » arg. cap. *Quanto* 7, de Divortii a sensu contrario; et tenet Ancharan. in cit. cap. *De illa* n. 5, et ibid. Barbosa in fine. Pirhing, lib. 4. Decr., tit. 19, num. 31. Reiffenstuel, n. 32, et alii passim.

(25. Tertia causa est periculum salutis spiritualis, seu incitatio ad peccatum mortale. Si enim unus conjugum provocat, incitat, et inducit alterum ad gravia crimina, v. g. ad Sodomiam, ad furtum, ad maleficium, ad deserendam fidem, etc., ita ut sine periculo salutis spiritualis habitare cum eo non valeat, potest licite divortium facere quoad thorum, et cohabitationem; arg. cap. *Quæ sint* 2, de Divortii, ibi: « Verum si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit, » et textu expresso in cap. *Idololatria* 5, caus. 28, q. 1, ibi: « Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, et vir uxorem dimittere, et uxor virum. » Et sic tenent Abbas in d. cap. *Quæ sint*, n. 3. Barbosa ib., n. 4. Engel, lib. 4, Decretal. n. 22. Reiffenstuel ibid., n. 33, et alii communiter. Et sicut ob hæresim, sic etiam ob periculum in alia labendi gravia crimina ex provocatione, incitatione, et inductione unius conjugis proveniens, potest alter propria auctoritate divortium licite facere quoad thorum et cohabitationem; quia

si conjux ex cohabitatione cum alio periculum animæ patitur, Jure divino licitum est ei ab ipso discedere, juxta illud Salvatoris, Matth. 5. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te,* adeoque non indiget auctoritate Judicis saltem pro foro interno; Sic Sanchez, lib. 20, disp. 17, n. 10. Reiffenstuel l. c. n. 35. arg. cap. *Idololatria* 5, caus. 28, qu. 2, ubi dicitur omnino posse, dictio enim omnino est præcisa, habetque præcisam naturam, et est lata sententiæ, ac importat idem, ac ipso jure, taliter quod aliquid absque alia dispositione libere fieri possit; ut recte advertit Barbosa in Dict. usu frequent. dict. 240, n. 10, 12 et 19, et Sanchez lib. 1, disp. 32, n. 6.

(26. 27. Quarta causa est sævitia alterius conjugis. Potest enim licite uxorem divortium facere a marito, si sit tanta sævitia mariti, ut ipsa absque periculo vitæ, vel gravis damni corporalis secum cohabitare non possit: cap. *Ex transmissa* 8, et cap. *Literas* 13, de Restitut. spoliator. (28. Sic etiam ob sævitiam uxoris, præsertim insidiantis vitæ mariti aut machinantis mortem illius, potest licite maritus divortium facere ab ea: quia jus naturale cuilibet concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, et periculum illius quovis modo declinandi; arg. l. *Ut vim* 3, de Justit. et Jur., et l. *Itaque* 4, ff. ad Leg. Aquil., et sic tenent Abbas in cap. *Si quæ mulier*, 1, de Divortii, n. 4, et ibi Hostiens. n. 2. Joann. Andr., n. 3. Ancharan. in fine. Sanchez, l. 10, disp. 18, n. 8. Reiffenstuel, l. c. n. 53, et alii communiter.

(29. Sævitia sufficiens ad divortium censetur, si adsit probabilis timor, et periculum gravis verberationis, aut crudelis vel atrocis tractationis futuræ, etiam secluso vitæ periculo, quia gravis, aut atrox verberatio, seu crudelis tractatio causant metum cadentem in constantem virum. Nec conjuges cum tanto periculo censentur se obligasse ad cohabitandum. Ita Engel, l. 4 Decret. tit. 19, n. 23. Reiffenstuel, ibid., n. 31. Sanchez, l. 10, disp. 18, num. 16. Bosco de Matrimon., disp. 12, sect. 16, conclus. 13, a n. 446. Layman, l. 5, tract. 10, part. 3, cap. 7, n. 16, et alii communiter; arg. l. *Consensu*, 8, § 2. *C. repud.* et novell. 22, cap. 15. (30. Quando unus conjux ex sævitia alterius patitur probabilem timorem, aut periculum vitæ, gravis verberationis, aut crudelis tractationis, si periculum est in mora, potest propria auctoritate discedere ab ipso, donec causa coram Judice discussa, sententia feratur, vel eidem sufficiens cautio de securitate præstetur; quia existente et urgente tali periculo, Jus naturæ defensionem quovis modo etiam ex fuga capiendam concedit; arg. l. *Ut vim* 3, ff. de just. et jur. et l. *Itaque* 4, ff. ad leg. Aquil., ibi: « Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. » Sic Engel, lib. 4. Decretal., tit. 19, n. 23. Pirhing, ib., n. 62. Reiffenstuel, ib., n. 46. Guttierrez, lib. 1. Can. qq., cap. 28, n. 8. Layman, l. 5, tract. 10, part. 3, c. 7, n. 18. Sanchez, l. 10, disp. 18, n. 3, arg. cap. *Ex transmissa* 8, et cap. *Literas* 13, de

Restit. spoliator. (31. Si vero periculum non sit in mora, sed conjux possit cum omni securitate expectare sententiam Judicis, tunc propria auctoritate discedere non potest. Ita Doctores mox citati; arg. diction. cap. *Ex trans.* 8, et diction. cap. *Literas* 13, de Restitut. spoliator.

(32. Quinta causa est votum ultramarinum ad liberandam Terram Sanctam; ob finem enim tam pium, et sanctum potest vir etiam invita uxore tale votum emittere, atque adimplere, et in tali casu fit licite divortium ad tempus, donec scilicet vir redeat, ac proinde inter justas, et legitimas divortii causas recte enumeratur, textu expresso in cap. *Ex multa* 9, de Voto, § *In tanta*, ibi: « In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne Terræ Sanctæ impediatur subsidium, viri præter uxorum assensum hujus peregrinationis propositum vovere libere valent, et quod voverunt libere adimplere. »

(33. Sexta est morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis; ubi enim judicio Medicorum aut peritorum, est probabile periculum gravis infectionis, potest conjux sanus petere omnino separationem a thoro, et cohabitatione, si non tantum ex debito conjugali, sed etiam ex sola cohabitatione tale infectionis gravis periculum probabiliter timeatur, ut communiter sentiunt Doctores cum S. Thoma, et Scoto, in 4, distinct. 32. Sanchez, lib. 9, disp. 24, num. 17. Navarr. in Manual., cap. 16, num. 23. Barbosa in cap. *Quoniam* 2, de Conjug., lepros. Pirhing, lib. 4. Decretal., tit. 8, n. 10. Reiffenstuel, lib., n. 7. Engel, ibidem arg. cap. *Pervenit* 1, de Conjug. lepros. ubi dicitur, quod si conjuges sani non possint induci ad cohabitandum cum leprosis suis conjugibus, ad hoc cogi non possint, dummodo uterque altero vivente continentiam servent, ibi: « Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius injungas, ut uterque altero vivente continentiam servent. » Et ratio est, quia ex naturali interpretatione conjuges in matrimonii contractu corporum potestatem inter se dant, et se obligant ad cohabitandum, salva suarum personarum incolumitate, adeoque cum timetur probabiliter grave periculum salutis corporalis ex cohabitatione cum conjuge infecto lepra, morbo gallico, aut alio contagioso morbo, tunc non urget obligatio reddendi debitum, nec simul cohabitandi. Rursus enim ordo naturæ postulat, aut saltem concedit, ut prius consulatur incolumitati proprii individui, cum ordinata charitas incipiat a seipso; argum. cap. *Si non licet* 7, caus. 23, qu. 5. (34. Si quis autem sponte contraxit cum persona, quam prius sciebat lepra, vel morbo gallico, aut alio simili morbo contagioso laborare, non potest licite divortium facere, nec quoad thorum, nec quoad cohabitationem, quia censetur cessisse juri suo, sicuti is, qui sciens vitium mercis, nihilominus emit. Sic communiter Doctores cum Sanch. loco cit. num. 8. Layman lib. 5. tr. 10, p. 3, cap. 1, n. 6.

(35. Septima est adulterium culpabile alte-